

FONTIonline

Sussidio documentale per le attività dell'ILIESI

Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee

Consiglio Nazionale delle Ricerche

http://www.iliesi.cnr.it/fonti_online/index.shtml

Questo testo è disponibile su questo sito grazie a:

[Herzog August Bibliothek](#)

Postfach 1364

D-38299 Wolfenbüttel

Signature:

H: O 232.4° Helmst. (12)

A: 269.1 Theol. (17)

Cornelius MARTINI

Disputationum logicarum adversus Ramistas secunda de constitutione logicae et
natura locorum in genere
(Helmstedt 1596)



Disputationum Logicarum ad- uersus Ramistas

SECUNDA

De constitutione logicæ & Natura loco-
rum in genere.

Quam præside

CORNELIO MARTINO AND.

uerpio, Professore Logices in incluta FV-

LII publicè tuebitur

M. ADAMVS LVCHTENIVS

Huxariensis.

Arbiter.

*Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi iuuenes le-
ctione seuera mitigarentur, ut sapientia præceptis animos compone-
rent, ut verba atroci stylo effoderent, ut quod vellent imitari, diu
audirent, sibi nihil esset magnificum quod pueris place-
ret: Iam illa grandis oratio haberet maiestatis sua pondus. Nunc
pueri in scholis ludunt, iuuenes ridentur in foro, & quod viroq; tur-
pius est, quod quisquis perperam discit, in senectute confiteri non
vult.*

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XCVI.

HENRICO IVLIO POSTVLATO EPISCOPO HALBERSTADENSI, Duci Brunsvicensi & Lunaburgensi &c. Domino meo clementissimo.

Illustrissime princeps, domine clementissime, cum omnes meas disputationes pro vera & germana Philippi & Aristotelis Logica, contra falsam Petri Rami, tue cels. nomini consecrarim & primam quidem nuper exhiberim: nunc etiam secundam hanc, quæ est de eius constitutione & natura locorum in genere, quomodo hæc verè à Philippo, & quem is autem sequitur, Aristotele traduntur, malè autem à Petro Ramo corruptæ sit, & submisit offero, idem vero hic, quod in priore, feci: ut ex ipsis fundamentis, quæ tunc nulla vi ne quidem aliquot à erum oppugnatione vel minimam labefactari potuerunt, neq; in eternum poterunt, cum inuicta sit veritas, ostenderem: Petri Rami Logicæ, nullius rei esse, adeoq; iuventutem, à veritate ad errorem, à solida rerum cognitione ad inanem quandam verborum strepitum, denique à sapientissima antiquitate ad sua cruda & inconcocta somnia auocare. In quo ego sicuti nullius tunc mortalis metui stomachum, ita & nunc, quicquid linor & maledicentia excogitare potest, non tantum contemnere, sed etiam suauiter ridere possum. Mihi cura erit, ut quantum in me fuerit, ad ædificandam nostræ salutem procurare iuuem, & existimationem eius apud homines literatos in mea professione vindicem: quod si pro se quisq; in sua nitatur, ut nituntur omnes, non erit dubium, quin eam semper præstantissimam simus habituri. T. C. me meaq; humiliter commendo. A.D. Cal. Nouemb. Anno 1596.

T. C.

Humiliter colens

Cornelius Martinus Antvverpius

DISPUTATIO ADVERSUS RAMISTAS SECUNDA,

De constitutione Logices & Locis in genere.

Thesis I.



Præcedenti disputatione demonstratum fuit, res omnes, siue omnia Entia, logico subijci eo videlicet modo considerationis, ut non quatenus sunt res, siue entia qua entia, considerentur (quod pueriliter nimis à Ramo dicebatur Schol. Dial. lib. 2. cap. 7. Et Schol. Metaph. lib. 4 cap. 1.) sed quatenus secundis notionibus subternantur, ijs videlicet, quibus ratio nostra ad veritatem deducatur, quam logicæ finem esse inibi liquide ostendimus.

II.

Ex autem secundæ notionis Logicæ, cum instrumenta sint ad eum finem, quem diximus, comparata, erit logicæ habitus non principalis sed instrumentalis.

III.

Quid secundas notionis hic appellemus, quanquam ex præcedenti disputatione id fortè an satis intelligi potest, tamen quia in hoc totius negotij cardo vertitur, paucis id repetemus, ne quod Ramo & Ramistis vsu venit, ab ipsa, ut aiunt, ianua erremus.

IIII.

Natura autem secundarum notionum rectius intelligetur, si fundamenta earum, primas videlicet cognitæ habeamus.

V.

Primas notionis vocamus ipsarum rerum conceptus siue imagines illas, quæ in mète statim rebus ipsis respondent, ita ut formalitas conceptus immediate ipsis rebus innitatur, qualis est conceptus hominis, equi, leonis, lineæ, superficiæ, virtutis, vitij, coloris, item causæ, effectus, patris, filij, actionis alicuius, passionis &c.

VI.

Quæ propterea opus nostrum esse non dicuntur, quod à mente

nostra existentiam suam non sortiuntur, sed quoties à nobis concipiuntur, toties earum cognitio se ad ipsas res habet, tanquam mensuratum ad suam mensuram.

VII.

At secundi conceptus reuera sunt opera nostræ mentis, qui rebus non accidunt quatenus sunt res, sed nostri intellectus causa, eos quando intellectus noster inuenit, & primis imponit, ut in ijs cognoscendis & dijudicandis non erret, sed veritatem adipiscatur, logici sunt. Sin vero ad orationem referat, grammatici vel rhetorici.

VIII.

Etenim si animal consideres sub notione generis vel speciei, subiecti aut prædicati, item maioris, medij, aut minoris termini, secundam ei notionem imposuisti, cum hæc omnia animali non cōueniant, qua est tale, sed quatenus aut prædicabile aliquod, aut partium enumerationis altera, aut vnus terminorum syllogismi.

IX.

Hiscæ enim secundis notionibus, seu ponderibus & mensuris examinantur, & quasi habiles redduntur primæ notiones ad opus logices efficiendum.

X.

Quæ si diligenter obserues, rectissimè à nostri seculi principe Logicorū, Zabarella, definitam comperies esse logicen: Habitus mentis instrumentalem, à Philosophis in Philosophia genitum, qui secundas notiones, in conceptib. rerum fingit & fabricat, ut sint instrumenta, quibus in omni re verum cognoscatur, & à falso discernatur.

XI.

Genus enim ponitur verum & proximum, videlicet habitus mentis instrumentalis, contra quam Ramus, qui falso artem esse dicit: quod quanquam cum alijs nonnullis faciat, aliter tamen ij vocabulo artis vtuntur, uti ex definitione artis Ramistarum & peripateticorum est manifestum.

XII.

Deinde differentia sumitur à fine, quod Rami quoq; iudicio fieri debet Schol. Dialect. lib. 2. cap. 5. Antea autem ostendimus finem principalem ad quem omnia referantur hic esse veritatem, non ipsum differere, quod in vera sua & germana significatione, potius est
motus

motus ad finem quam ipse finis, in quo & ipso labitur Ramus.

XIII.

Nam licet & hic alios in subsidium vocare posse videatur, neutiquam tamen id verum est, cum nemo illorum vocabulo differendi Ramistica significatione vsus esse comperiatur.

XIV.

Porro de *Partitione* logicæ maior quæstio est, neque enim vlla ratione, eam quam tradit Ramus, salua veritate, admittere possumus, quippe qui totam iudicemus vitiosam esse.

XV.

Quanquam enim veteribus quibusdam placuisse sciamus, partitionem logicæ in *Inventionem* & *Iudicium*, tamen cum & hic nouæ vocabuli significationis, artifex sit Ramus, quando vocabulum inventionis longe aliter atque illi accipit, sicuti etiam argumenti, sub nouis illis significationibus, nouas quoque res quærens, à priori seculo frustra suæ causæ patrocinium sperat, quod verè cum Ramo è diametro pugnat.

XVI.

Hoc uti nobiscum pariter omnes intelligant operæ precium me facturum arbitror, si rem è suis principijs arcessens, de natura & constitutione, indeque natis partibus logicæ veræ & germanæ, pauca quædam in medium afferam. Deinde Rami nugas, cum ijs conferam, uti veritas magis in procliui se ostendat.

XVII.

In primis id tenendum est, quod & præcedenti disputatione & iam modo diximus, circa omnes res occupatam esse logicam, non tamen alio modo, quàm quatenus secundis suis notionibus informantur primæ, ad eum quem diximus, finem consequendum.

XVIII.

Hinc enim liquet subiectum logicæ esse subiectum operationis: nam non considerat illud tantum, sed ex eo aliquid efficit.

XIX.

Vnde sicuti in reliquis omnibus istiusmodi doctrinis, fieri videmus, aliquam saltem, si non exactam, subiecti illius cognitionem desiderat, videlicet tantam quanta ad finis eius commodiorem introductionem sufficit.

XX.

Ne dum facere aliquid instituit, actionem illam in materiā non dispositam propter ignorantiam introducere conetur, quo peccato nullum in artifice est reperire turpius.

XXI.

Vti enim aurifaber, quanquam subiectum operationis non cognitionis habeat, tamen nisi auri cōditiones norit, quatenus ad operationem, quam intendit, requiruntur, videlicet non lucrum sed damnum expectare eum iubeas: ita & logicus procul dubio frustra sit, nisi subiectum suum eo, quo diximus, modo cognitum habeat.

XXII.

Ita dicebat Aristoteles, medicum qui oculos esset curaturus, debere aliqua ex parte eorum habere scientiam, & Ethicum qui virtutibus animum instruere conetur, minime cognitionis animæ expertem esse.

XXIII.

Quapropter Logicus subiectum suum, totam rerum vniuersitatem, transcendentibus exceptis, certis classibus distinctam, toti sē doctrinæ præmittit. nō quidem tanquam propriam, sed à Metaphysico mutuata: ut quia in ijs omnes simplices termini dispositi sunt secundū latitudinem suam & angustiam, quid de quoq; prædicari possit ante omnia intelligat, quæ propterea vocabulo artis *Prædicamenta* ei appellantur.

XXIV.

Consequitur vero illud ope *Prædicabilium*, quæ modos notant, quibus vnusquisq; simplex terminus habilis fiat ad prædicationem: & propterea à Philippo rectè dicuntur distinguere, quæ vocabula quomodo de alijs prædicentur.

XXV.

Itaq; quale quale id sit prædicatum, si modo propriè naturaliter de subiecto prædicetur, ad aliquem istorum modorum quadrare debet, ut ridiculus sit Tempellus, qui cum suo Ramo quiratur, excludi hinc multos locos, quæ etiam Categoremata constituent.

XXVI.

Nam neq; prædicabilia quæ sunt prædicabilia loci sunt, neq; locorum est Categoremata constituere, de qua re infra. Sed ut diximus, prædicabilia secundæ sunt notiones, quæ demonstrent, quomodo primæ de se inuicem prædicari possunt.

Sive

XXVII.

Sive igitur efficiens, sive materia, forma, finis, subiectum, adiunctum prædicentur, quia (ut audiemus) primæ notiones sunt, omnes, ad aliquem horum modorum necessario referentur.

XXVIII.

Atq; illud quidem primum est in Logica tractatione, ut notiones simplices eo modo dispositas habeat: simplicia enim sunt omnia, quæ in prædicamentis continentur, quando complexum nullum est in rerum natura, sed omne, quod tale est, à mente est.

XXIX.

Ita verò dispositæ sunt, in prædicamentis, sive res appellare velis sive notiones, ut vnaquæq; in sua classe collocetur, ad quam ratione essentiæ pertinet. Etenim decem prædicamenta decem sunt Entis species, primario ut diximus ad metaphysicam pertinentes, quæ ens, qua est ens, cum principijs, affectionibus & speciebus considerat, secundario autem ad Logicam propter hanc, quam dixi, prædicationē.

XXX.

Vnde quod in vna entis specie est, ad alteram nunquam pertinet: neq; enim substantia vnquam erit quantitas, neq; hæc qualitas, sed vnum quodq; sub suo genere essentialiter continetur, quod si ad aliud aliquod transferas, iam errabis.

XXXI.

Hanc autem omnium simplicium dispositionem non vocant *Peripateticis* inuentionem, neq; enim est: adeoq; ineptissimè facit & Ramus & reliqui, qui illam cum locis confundunt, ut ineptius potuerit nihil.

XXXII.

Tum stultam impudentiam suam prodit Scribonius, qui tam audacter, imperitiam omnibus peripateticis obijcere audent, propter prædicamentorum à locis secretionem, verba eius sunt in Triumpho (si Dijs placet) Logicæ Rameæ lib. 1. cap. 2. *Prædicamenta igitur à reliquis argumentis separatim velle distinguere sententia est imperitorum Aristotelicorum, qui naturam inuentionis non satis generaliter & rectè considerant.*

XXXIII.

Hæc ille Ramistico iudicio, nam termini hic traduntur simplices

ar-

argumenta nequaquam, cum doctrina argumentorum ab ea insolidum differat, quam terminorum simplicium, cum argumentis confusionem, turpissimam in logicis Rami est animaduvertere, & in progressu patebit, nos iam materiam nostram persequamur.

XXXIV.

Ex horum igitur simplicium terminorum complexu siue compositione, cum veritas vel falsitas oriatur, si ea manifesta esset omnibus, nullus logico esset locus, sed quia id non fit & propterea discursum nobis DEVS indulerit, quo ex notis ea quæ ignota sunt elicere queamus, ne hic contingat errari vnica est logici cura, quare & inuenta est.

XXXV.

Itaque ille eas Enunciationes, quæ manifestam possident veritatem, aliquo quidem modo considerat, sed præsertim reliquas sibi excutiendas sumit, quæ scilicet dubiæ sunt, & quomodo in ijs errari contingat, quomodo item errori possit succurri, inuestigat.

XXXVI.

Fit autem illud syllogismo, qui cum ex enunciationibus constet, & enunciationum & syllogismorum exacta cognitio, Logico proposita esse omnino debet.

XXXVII.

Porro cum tam enunciationibus quam syllogismis diuersissima accidant, propter materiam & formam; adeo, vt neq; huius scientia sine illius, neq; illius sine huius, magnum ad veritatem momentum habeat, nisi vtramq; logicus respiciat, nunquam suum finem assequetur.

XXXVIII.

Hinc iam duæ oriuntur logicæ partes apud Peripateticos, quarum vnæ de forma tam enunciationis quam syllogismi altera agit de Materia,

XXXIX.

Hasce autem condiciones, formales & materiales diuersas esse, vel ipso Ramo teste probare possumus, qui in scripto contra Scheckium affirmat, constantissimum posse etiam ex falsissimis fieri syllogismum, ideoq; in eo tantum consequentiam & inconsequentiam considerari debere docet.

confi-

XL.

Sanè ita est, ad formam Enunciationis nihil facit, vtrum materia sit vera, an falsa, contingens an necessaria: neq; enim hæc enunciatio, *Omnis homo est Equus*, minus est enunciatio illa, *Omnis homo est animal*: neque minus Categorica, de inesse, finita, affirmatiua, Vniuersalis, licet vera non sit.

XLI.

Ita hic syllogismus: *Omnis homo est lapis, Petrus est homo, Ergo Petrus est Lapis*: respectu formæ non minus est syllogismus, quam ille, *Omnis homo est animal, Petrus est homo, Ergo Petrus est animal*: neque minus Categoricus, nec minus in prima figura, eiusque figuræ tertio modo, quem Darij appellant.

XLII.

Vtrobique enim posita maiore & minore Conclusio inferitur necessario, propter ea quæ posita sunt.

XLIII.

At Consequentiam & inconsequentiam in syllogismo tantum spectari, vt de syllogismis doctrina tum sit absoluta, si scias, quæ debeat esse medijs in vnaquaque figurarum dispositio, quæ præmissarum qualitas & quantitas, id est, vt in forma eius non erres; valde est absurdum.

XLIII.

Nam hæc quidem logicæ pars est prima & facilima, cuius solummodo rationem habuisse Ramum insipienti apparebit; quam ne hanc quidem nisi mutilam & mancarn tradiderit: adeoque multas maximi momenti doctrinas omiserit.

XLV.

Alteram autem illam, quæ erat de materia, difficilimam videlicet & præstantissimam omisit.

XLVI.

Ne quis autem id Ramo à nobis falsò impingi, arbitretur, consulat eum, qui volet, cum palsim alibi, tum in comparatione 3. contra Sceck: Vbi de fine logicæ agens inquit: *Nullum esse syllogismum per se nisi necessarium, cum ex falsis constantissimus esse possit, in eoque*
TANTVM (ait) Consequentia & inconsequentia, spectatur vt in metho-

B

de

do tantum natura priorum aut posteriorum, τὰ ζῆς καὶ ἀπὸ ζῆα, in neutro autem veritas aut falsitas propriè consideratur.

XLVII.

Et paulò pòstita: Planeq; fallax ista est partitio. Tota dialectica est necessarij aut probabilis: cum separata Categoremata totis Categorijs seu topicis comprehensa, neq; verum neq; falsum significant: cum neq; syllogismus neq; methodus verum aut falsum, sed consequentiam sed ordinationem in-
queantur.

XLVIII.

De tam miserabilibus Topicis à quibus itidem excluditur veritas, infra: id hic manifestum est de doctrina syllogistica, nil prater formalem considerationem in Ramilogicis quæri debere.

XLIX.

At cum hac ad veritatem logicæ finem non perveniatur, quippe ubi & falsissima possint colligi, post generalem prædicamentorum explicationem, deinde enunciationis syllogismi; formalem considerationem; de materiali quoque ratione, omnino est logico agendum, quæ quod cum altera illa parum, aut nihil commune habeat, ideoq; singularem considerationem requirat, secundam logicæ partem constituere diximus.

L.

Materialem hanc rationem voco, non omnes illas res, quæ tractantur vel in enunciatione, vel syllogismo, ad suas scientias pertinentes, vti ad physicam spectant physica, Ethicam Ethicæ, Mathematicam mathematicæ: Sed earum conditionum observatio; quæ enunciationibus accidunt, quatenus enunciationes necessariae sunt vel contingentes: & syllogismis, quatenus ij, vel ex proprijs & domesticis principijs, vel remotis, communibus aut alienis demonstrantur: in quo ipsum est momentum totius cognitionis.

LI.

Hæc qui ad particulares scientias rejciunt, ex quibus materiam iudicari debere contendunt, non illi satis diligenter consideraverunt, quid materiam vocarent, adeoque terminos & limites scientiarum malè confundunt.

LII.

Profectò enim notas & conditiones propositionum necessariorum & item conditiones, proprietates, differentias & communitates

tates principiorum sicuti quoque medijs eius, ex quibus principia vera & germana constare debebant, quibus necessaria conclusio demonstratur tradere, neque Physicæ est, neque Mathematicæ, neque alterius alicuius scientiæ, sed tantum logicæ.

LIII.

Vt admodum sit mirandum, cum tam variaz de principijs sint disputationes, nullâ ijs à Ramistis assignari patriam, in qua seu legitimi ciues censerent, & suis quæque ordinibus & classibus ascribi possint.

LIV.

Causa quid sit, dicet tibi Metaphysicus, vti quoque quot sint: ex quibus vero causis affectio propria demonstratur de suo subiecto, an ex externæ sint an vero internæ: an proximæ an remotæ: & si proximæ, an simpliciter an vero in genere suo: quot item requirantur, an una an plures: quidnam id sit, quod de subiecto demonstratur: quæ eius debeant esse conditiones; Hæc inquam omnia neque à Metaphysico discas, cum ille syllogismum demonstrationum facere non doceat, neque à Physico aut Mathematico, quæ res tradunt & scientias ipsas, non autem τῶν ἐπιστήμης siue modum sciendi.

LV.

Ita neque id ex formali illa parte, de qua iam mentionem fecimus, unquam hauries, quam nos primam esse dicebamus, quamque Ramum tantum considerasse: sed ex hac, de qua nunc agimus, materiæ tractatione.

LVI.

Necessitas enim & contingentia, quemadmodum supra docuimus: materiæ sunt conditiones non formæ, itaque omnia illa, quæ ad eorum vel affectiones, vel naturam spectant, in materiali doctrina sunt considerata non alibi.

LVII.

Quare nisi quis admodum velit esse ineptus logicus, *materialem* syllogismi tractationem à *formali* distinguere omnino debet, quod tamen Ramus nequaquam fecit: sed utriusque conditiones confundendo, miserabilem nobis artem peperit.

LVIII.

Nam id quidem in hoc genere minimum est dicere : *axioma esse verum ac falsum: Verum deinde cōtingens aut necessariū : Necessariū autem* καὶ παντὶς, καὶ αὐτῷ, καὶ ὅλῳ. Hæc enim nec suo loco, nec vt decebat, exponuntur, tum ita explicata ad scientiam parum aut nihil conducunt.

LIX.

Maximus verò Aristoteles finem suum considerans, nimirum veritatem, cum animaduerneret, nuda illa syllogismi forma eam non fieri manifestam, hanc quoq; alteram de materia attexuit, atque ita logicam nobis perfectam reliquit.

LX.

Et quidem primò in necessariam veritatem oculos conijciens, quomodo ea syllogismo Demonstratio acquiratur, & vbi acquiratur, & ex quibus, exactissimè docuit, vnde perfecta rerum per causas cognitio nascitur, quæ vera est scientia.

LXI.

Quod si omnes res istiusmodi essent, vti per proximas æternas & scientificas causas cognosci possent, id est, syllogismis demonstratiuis; tum locis illis communibus, quæ *Topica* vocantur nihil nobis esset opus.

LXII.

Suggerunt enim hæc tantum principia quædam cognitionis, nequaquam vero rei siue ellendi, vt vocantur, quod tamen fieri debebat, si perfecta rei scientia quærebatur, nunc opinionem tantum pariunt: hac autem delectari, vbi scientiam habere possis, deliri sit.

LXIII.

Verum plurimæ sunt in natura res, de quibus demonstratio fieri non potest, plurimæ etiam, quæ etsi sua natura tales sint, vt Demonstrationem suscipere queant, nos tamen propter obscuritatem causæ proximæ, per quam fieri debebat talis demonstratio, eam assequi nequimus.

LXIV.

Et tamen propterea inuestigatio talium abijcienda non est, sed si nequeamus hoc pacto, saltem probabiliter de ijs nobis disputandum erat.

Alijs

LXV.

Alijs itaq; argumentis siue alijs principiis aliunde, quàm à natura proximæ causæ petitis, vtendum nobis est, vt vel ita ad aliquam rei cognitionem perueniamus.

LXVI.

Hic iam nascuntur *Topica*, loci videlicet communes, vnde argumenta desumuntur ad probabile aliquod thema confirmandum.

LXVII.

Loci vocantur, quia vt Cicero in Topicis suis dicit, quemadmodum earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco, facilis est inuentio; sic cum peruestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus, sic enim (inquit ille) appellatæ ab Aristotele sunt hæc quasi sedes, è quibus argumenta promuntur.

LXVIII.

Itaque *locum* definit esse argumenti sedem.

LXIX.

Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. Et in Partic. Inuentum probabile ad faciendam fidem. Sicuti quoque Quintilianus lib. 5. cap. 10. naturam omnium argumentorum esse asserit, vt sint rationes per ea, quæ certa sunt, fidem dubijs afferentes. Quod diligenter est attendendum, propter novam illam, & in logicis nullius rei, argumenti naturam, quam Ramus inuenit.

LXX.

Manifestum hic quoq; ex Cicerone est discrimen inter locum & argumentum. *Locus* enim sedes argumenti appellatur, ipsum autē *argumentum* loco continetur, vt: *Locus* est à contrarijs, *argumenta* autem generales illæ enunciationes, quæ à natura contrariorum sumuntur, propter quas locum contrariorum consulimus vt:

Contrariorum Contraria sunt consequentia:

Contraria non possunt simul esse in eodem subiecto in excellenti gradu.

Contraria in eodem nata sunt reperiri.

Quantum de uno contrariorum acquiritur, tantum de alio expellitur.

Contrariorum contraria est ratio.

A contrariis fit actio &c.

B 3

Quæ

LXXI.

Quæ principia seu argumenta qui vel negligit, vel negligenda esse docet, vel non docet, quomodo propter ea sint loci: sed nudas tantum locorum definitiones proponens, exemplo vno aut altero addit, satisfacere se iuuentuti posse putet: is perinde faciat, atque si magnas diuitias pollicens inanes cistas aut arculas tibi largiatur.

LXXII.

Porro vt hæc rectius percipiantur, & natura tam locorum quam argumentorum penitus introspecti queat à Ramistis, qui hic toto cœlo errant, vtque hæc ab ea doctrina, quæ in Prædicamentis tradita est, dilucidius & manifestius distinguatur, operæ precium est videre, vnde hi loci desumantur & qualia principia ad cognoscendum nobis præsentent.

LXXIII.

Iam ostendimus cum *proximam rei causam*, quæ eadem est principium essendi, siue vt Aristoteles in scientiæ definitione loquitur, *propter quam res est*, nosse non possumus, vt æquatæ affectionis æquata quoq; causa asseratur, alijs nos probationibus insillere debere.

LXXIV.

Eæ autem à quibusdam alijs rebus desumentur omninò, cum nulla res seipsa probetur, id enim foret ignotum per ignotum demonstrare, & rectè Auerroes inquit, omne quæsitum demonstrari per aliam rem, quæ sit præter illud.

LXXV.

Res autem numero sunt immensæ, & proinde quoq; immensa proprietas & diuersitas earum, vt propterea quæ singula singulis conueniant, aut discrepent, singulatim nulla vis mentis humanæ, vt Rudolphus inquit, complecti possit, & si posset, illud in Dialecticis fieri admodum foret absurdum, nisi quis totam rerum vniuersitatem huc transferre velit.

LXXVI.

Ergo vt rectissimè idem dicit Agricola, in suo de inuent. lib. 1. cap. 2. ingeniosissimi virorum ex effusa ista varietate communia quædam capita, quæ vel omnibus vel plerisque accommodari possint, excerpserunt, veluti substantiam, causam, euentum &c. Vt cum ad considerandam rem quampiam quis animum animaduertisset, sequens

sequens ista duceret inde argumenta propositis rebus accommodata.

LXXVII.

Inesse enim omnibus docet rebus, communem quandam habitudinem, & cuncta ad naturæ quandam similitudinem tendere, vt quod omnibus est substantia quædam sua omnia ex aliquibus oriuntur causis, & omnia aliquid efficiunt.

LXXVIII.

Rectè inquam ille, id enim sunt topica, loci communes vel argumenta à communibus notionibus desumpta, quæ plerisque rebus accommodari possunt.

LXXIX.

Omnis enim res aut est causa aliqua, aut causatum: igitur sub natura causæ vel causati de omnibus disputare mihi est integrum, ita totum, partes, genus, species, diuersum, contrarium &c. plerisque rebus accommodari, & sub earum natura de ijs disputari potest.

LXXX.

Quamquam enim Alexandro credamus, quætionem propter quam, quæ causarum est, non esse propriè dialecticā: vt quare luna deficiat, sed eam vt supra diximus, ad apodicticam pertinere, nihilominus posse ex causarum loco etiam topicè argumentari Dialecticum, non est nobis dubium, sed vt dixi topicè non apodicticè.

LXXXI.

Omnes igitur vel plerasq; tales communitates considerantes & colligentes Philosophi, indeque principijs vel maximis deductis, quibus natura illarum rerum explicatur, nobis Locos hosce siue topicam hanc doctrinam reliquerunt.

LXXXII.

Ergo si examines locos, siue Rami, siue Agricola, siue Philippi: definitio, genus, species, diuersa, disparata, pugnantia, comparata, coniugata, etymologia, totum, partes, causæ, effecta, &c. non vni alicui rei domestica vel propria sunt. vt vel solum animal hæc habeat, vel solum corpus, vel solæ res physicae, vel Ethicae &c. sed tales sunt affectiones istiusmodi notionis, quæ vel omnes vel certæ plerasque res siue entis species respiciunt.

Vnde

LXXXIII.

Vnde propriam rei & particularem scientiam parere non possunt, quia vniuersalitas eorum obest, ne medius terminus, qui ab eis sumitur domesticus sit siue proprius: quia eodem argumento etiam in alia diuersissima re vti potes.

LXXXIV.

Exempli gratia, si ex loco contrariorum hoc argumento: *contrariorum contraria sunt consequentia*: contendas, de voluptate rectè dici, quod sit bona, quia de dolore voluptati cōtrario rectè dicatur, quod sit inaium; Topicè id quidem vi tui principij facere videaris: sed eodem ego demonstrabo, albedinem discutere visum, quia nigredo eius contrarium illum congreget: Contrariorum autem contrarias esse consequentias.

LXXXV.

Sicuti & aduersarij nostri pontificij ex eodem principio contendunt efficere: bona opera iustificare, quia mala damnant, Nam contrariorum contrariae sunt consequentiae.

LXXXVI.

Ita & medicus inueniet & iurisconsultus habebit, quod hoc principio, in sua quisque doctrina efficiat.

LXXXVII.

Cum & tam diuersas res tot vnico principio concludam, ineptiunt illi, qui certam sibi hinc aliquam pollicentur scientiam.

LXXXVIII.

Quin contra verum est, ope harum vniuersalium posse topicum per omnes scientias vagari: & cum nullus sit sciens, de omnibus tamen sub natura horum vniuersalium locorum, à quibus principia desumit, disputare.

LXXXIX.

Vt verè dicatur, sicut orator personatus est Politicus, sic Dialecticum personatum esse Philosophum.

XC.

Et hæc eadem est causa, quare topicè disputantem nihilominus tamen sæpius cōtingat errare, quod videlicet medius terminus nimis est generalis, neq; ex ipsa rei, de qua agitur, proximâ essentiâ & natura sumitur.

Vt

XCI.

Vt in resolutione syllogismorum, hoc vel primum videre oporteat post formæ examen, quod semper præcedere debet: ex quo principio conclusio efficiatur, an ex domestico aliquo, an vero generaliore & topico. quod si ex Topico, magnam cautionem adhibeat resolutor, ne decipiatur.

XCII.

Etiam si enim plerumque vera sint, imò si rectè intelligantur, semper fortassis: tamen propter indeterminationem nonnunquam patiuntur instantiam, quod longissimè abesse debet à perfecta veritate.

XCIII.

Ita Bryso in sua Circuli quadratura deceptus esse ab Aristotele arguitur, qui cum ex domesticis principijs eam demonstrare deberet, ad communia & topica confugit, & vt philosophus inquit ex ijs rationibus, quæ & alteri rei insunt, & idcirco alijs quoque, non eiusdem generis rebus aptari poterant: Itaque quoties id fit, non (inquit) quâ illud, scit, sed ex accidente.

XCIV.

Principium enim quod à natura relatorum sumebat Bryso, tale erat iuxta Alexandrum: *Vbi reperitur maius & minus, ibi reperitur etiam æquale*. Cumque circulo maius quadratum dari manifestum sit, & aliud item, quod eo sit minus, æquale quoque dare censuit.

XC V.

At hoc principium topicum est, & nimis generale, neque Geometræ tantum sed & Arithmetico commune, eodem enim principio probari potest, quod vbi est maior & minor numerus, ibi est etiā æqualis. Quin & physicum de tarditate & velocitate motus disputantem iuuabit. Et Medicum de morbi magnitudine vel exiguitate. Et Moralem de maiori & minori virtute & vitio.

XC VI.

Itaque & instantiam patitur, non tantum hic, sed quoque in angulo semicirculi, quo rectilineus datur maior, & alius item rectilineus minor; æqualem vero ei aliquem esse, aut dari posse rectilineum negant Mathematici. Vide Euclid. lib. 3. prop. 16.

C

Simi-

XC VII.

Similis lapsus etiam in multis alijs est disciplinis, quando huius doctrinae ignari disputatores caelum terrae miscent, & ut cum Galeno loquar, qui hostiles etiam sua aetate deprehendit in 2. de Dialect. Hipp. & Plat. cap. 3. & 4. *In eorum libris omnis generis assumptiones confuse nullo habito delectu commixtae sunt, saepeq; praecedunt, si ita incidit oratoria argumentatio, sequitur exercitatoria & dissertatoria, deinceps scientiam efficiens, postremo loco si ita fors tulerit captiosa collocatur, nempe quod ignorabant scientia effedrices sumptiones ad rei, de qua ageretur, substantiam referri, eumq; finem ac scopum habere.*

XC VIII.

Demum ut verbo dicam, scientia, quae non tantum principia quaerit cognitionis, per quae demonstrares, sed ut diximus, essendi maxime (quorum notae in Topicis nullae sunt, neque demonstrari possunt) ex ijs locis non efficietur. Alio itaque instrumento opus habebunt. Cognitionem autem rei aliquam alicunde desumptam tibi parere possunt, qua probabiliter de re iudices, quantum videlicet natura illorum argumentorum, quae suis locis desumuntur, pati potest.

XC IX.

Cum ne inter ipsos quidem locos, si delectum facias, eadem sit argumentandi necessitas; stultè enim arbitreris ex loco notationis, siue etymologiae tam validum posse argumentum desumi, quam ex loco definitionis aut simili. Quare etiam hoc in resolutione syllogismi diligenter attendendum est, ut cognoscas, ex quo loco desumptum sit medium, & quemadmodum is locus concludere possit.

C.

De resolutione quando dico, non miserabilem illam Ramistarum intelligo, quae in singulis enunciationibus argumenta quaerit: ut si dicam Petrus est doctus: Petrus argumentum sit ex loco subiectorum, Doctus autem ex loco adiunctorum. Hac enim usum nullum habent, sed illud volo: Cum ut dixi de forma constiterit, ad materiam deinde oculum deflecti debere, & si ea apodictica esse ex suis conditionibus appareat, apodicticè quoque eam examinari debere, & tam de Maiori quam Medio, ut etiam de Minori termino, eorumque coherentijs secundum normam demonstrationis iudicari. Sin.

ri: Sin vero topica, ut videatur, ex quo loco, sicuti dixi, probatio petatur, & quò argumento, ut verè de rebus iudicium perhibeas.

C I.

Neq; id in resolutione tantum, sed etiam in tua, quam vocant, genesi. Si ipsi tibi probandum sit aliquid, ut ea, quae demonstratiua sunt, sua mensura metiaris, ne si quæram ego, quare animantia quædam respirent respondeas tu mihi, quia habeant pulmones: vel quare arboribus decidant folia, tu reddas, quia sit autumnus. Nam hæc ut vera sint, demonstratiuè tamen probata nequaquam sunt.

C II.

Aut si alia aliqua tibi conclusio confirmanda sit, quæ exactum illud apodicticum non admittat, locos adire possis, & ex quonam illorum, tuum hoc institutum efficere queas, perscruteris: tum ubi rectius, ubi minus commodè, omnes enim tibi sunt pulsandi, ut ab aliquibus saltem intromittaris, sicuti monent logici.

C III.

Pato intelligi iam ab omnibus, quid de materiali illa syllogismorum consideratione sit sentiendum, & quemadmodum ea præstantissima meritò totius logicae pars habeatur. Tum quomodo scientificus syllogismus à topico differat, respectu conditionum materialium, quæ confundere, est pro veritate opinionem, pro scientia ignorantiam obtrudere.

C IV.

Porro cum vniuersales illas notiones, locos topico fieri, & principia suppeditare ad quoduis problema vel astruendum vel euerrendum ostenderimus, qua ratione hæc topicus possideat, nondum dictum est, an suo iure an vero alieno.

C V.

Nam in hoc turpiter labi Ramum apparebit, quod Methaphysicen dominam scientiarum reiiciat, & tamen multa hic sint Methaphysica, quæ si ius suum ea postulet, topicus aut reddere, aut pro ijs satisfacere teneatur, ut ita iniustus ille finium regundorum arbiter, Topico alienam rem tanquam suam adiudicet.

CVI.

Ante diximus, & in ore est omnium logicorum, quod & Rami ista fatentur, res in logica nequaquam tradi.

CVII.

Quare prædicamenta, quæ realia sunt, mutuatiuè in logica poni diximus propter causam, supra thesi 23. traditam.

CVIII.

At hic multa sunt realia, vide enim primum Rami Locorum: Causa est res videlicet realissima, non intentio: ita Effectum subiectum, adiunctum, diuersa, contraria, relata, totum, partes &c. res omnino sunt, non intentiones.

CIX.

Id vel manibus (quod aiunt) palpare poterit, qui quid inter realia vel intentionalia interfit, semel tantum audierit, nisi fortè pro sale animam sit sortitus.

CX.

Neque enim causa à mea vel dispositione vel intentione habet, ut causa sit, neque subiectum, neque adiunctum: tum diuersa sunt diuersa, etsi ne quidem mente concipiantur, quomodo & totum & partes, quod eam habent naturam, nequaquam debent conceptui humano: Sed quod in enunciatione subiectum fiat vel prædicatum, quod in syllogismo maior, minor vel medius terminus, id à mente habet tantum. Ideoq; intentionaliter, ut loquuntur scholastici, non realiter illis hæc competunt.

CXI.

Ergo quod frigus causa sit congelationis, id semper verum est: siue ego disponam congelationem cum frigore, siue non disponam. quod corpus subiectum coloris, quod lapis & bos diuersa sunt, non est à mente hominis, ut neque quod Equus totum aliquod sit, caput verò, truncus, pedes, sint partes. Omnia enim ista, etiam si maxime vniuersaliter considerentur, essent nullo existente homine.

CXII.

Cum itaque hæc & similes vniuersales notiones, intentionales non sint, sed reales, nihilo tamen minus in hisce iisdem topicis aliæ inueniuntur, quæ non sunt reales, sed intentionales tantum: siue quæ non sicuti illæ, primæ, sed secundæ sunt notiones, quales sunt genus

nus, species, pronunciata, nomen rei, coniugata, casus. Ut, hæc tam diuersæ res (quas ne quidem Aristoteles in Metaphysicis coniungere potuit, quippe qui Ens rationis simpliciter à consideratione entis realis eijciat) quomodo ad vnam doctrinam pertineant, dubitare quis merito queat.

CXIII.

Sed vnicuique id euidenter manifestum erit, si, quæ supra de natura locorum disputata nobis sunt, repetat: videlicet vniuersales eas esse notiones, quæ vel omnibus vel plerisque rebus, cum accommodari possint, sub earum natura de omnibus vel plerisque rebus disputari queat.

CXIV.

Porro quia istæ vniuersalitates, utpote tam diuersæ, domi topicæ non possunt nasci, eas consulit illa scientias vel disciplinas, à quibus hæc mutuari & in suum vsum transferre queat.

CXV.

Istiusmodi autem sunt vniuersales tantum; nam particulares nil nisi particulare ipsi suppeditant, quod paruo sit vsui topicæ, cui propositum est de omni re probabiliter disserere, non aliqua tantum.

CXVI.

Tres vero tales reperias huic nostro instituto aptas, vnam quæ Ens quæ Ens considerat, & proinde Entis affectiones cum principiis, quæ ei conueniunt, quæ est Ens. Alteram quæ eas notiones format, quibus in omni re ad veritatem peruenitur, quæ logica est. Tertia est grammatica, quæ & ipsa de suis quoq; opibus aliquid in vsum concedit topicæ.

CXVII.

A prima igitur mutuatus est topicus omnia realia, quæ habet, quæ supra ostendimus, vel certe pleraque: nam Rodolphus etiam locum, tempus &c, inuentioni suæ addidit, quas ille res à Physico sumpsit. A secunda autem genus, speciem, contradicentia, definitionem, diuisionem &c, qui sanè termini sunt logici A tertia habet coniugata, casus, Etymologiam siue notationem &c. Et postremo si omnia deficiant, ad Testimonium confugit.

CXVIII.

Vnde habeat diximus, nunc *quomodo* habeat videndum est: ne aliena eum quis pro suis sibi vendicare arbitretur.

CXIX.

Id verò manifestum est, si vel solam notationem, siue Etymologiam nominare velis, aspicias: ea enim locus est Dialecticus, à Dialectico autem discendum esse quid sit Etymologia, quomodo fiat, nemo dixerit, nisi qui Grammatices suæ sit oblitus.

CXX.

Non igitur primariò notatio siue Etymologia ad Dialecticam spectat, sed aut non pertinet, aut secundariò siue alia quadam intentione.

CXXI.

Ea autem non est alia, quam quatenus argumentum ab ipsa desumitur.

CXXII.

Igitur propter argumentationem siue rei dubiæ probationem sunt loci, quod cum ijs rebus, quæ locorum hic naturam induunt, non per se conueniat, sed ex accidente: euidens est illas quoque res non per se hic tradi, sed propter hunc usum solummodo.

CXXIII.

Nam sanè causa erit causa, etiam si argumentum è causarum natura nullum sumas. Et totum erit & partes, & similitudo & dissimilitudo, subiecta, adiuncta, Relata &c. Res inquam illæ erunt, etiam si argumenti conditionem nunquam induant.

CXXIV.

Quare ridiculus est Ramus, & cum Ramo omnes ij, qui Metaphysicam reiiciunt, in qua de rerum istarum realitate agitur, ea videlicet, qua in sua sunt natura.

CXXV.

Causa à Ramo in Dialecticis consideratur, qua est argumentum; video, sed ubi in sua natura, qua est res? Nam quod causa sit argumentum, ex accidenti est. Posita enim causa non ponitur argumentum, quod omnino necessarium esset, si verè definiretur causa, argumentum consentaneum.

Vt

CXXVI.

Vt si dicas patrem esse causam filij, non tam sis absurdus, qui statuas patrem esse argumentum filij. DEVM esse causam mundi, verum est, DEVM autem esse argumentum mundi, ridiculum est, & absurdissimum.

CXXVII.

Idem iudicium est de cæteris locis, qui à realibus affectionibus sumuntur, subiecto, adiuncto, diuersis, contrarijs, toto, partibus &c. Albedo enim rectè dicitur esse adiunctum hominis: stultè verò esse argumentum hominis. Et totum aliquod currere videmus, Argumentum verò aliquod an currat, obseruent illi.

CXXVIII.

In has autem ineptias incidunt omnes ij, qui inter primas & secundas intentiones nullum faciunt discrimen: Argumentum enim vocabulum est secundæ non primæ intentionis.

CXXIX.

Deinde etiam ij qui à Peripateticis admoniti simulant, se discrimen agnoscere, & tamen quæ reuera sint primæ, quæ secundæ, ignorant, putantes locos illos omnes esse secundas notiones, siue vt illi loquuntur notiones logicas, quod falsum esse & absurdum ex ijs, quæ supra diximus, satis liquet.

CXXX.

Quare memores iustitiæ relinquamus Metaphysicæ propriam possessionem, quæ Topicæ aliquem usum non inuidet, & ne Grammaticæ coniugata, casus, Etymologiam præripiamus, quæ vt suo modo ijs vtatur Topicus, facile fert, dummodo ipsa domina maneat. Postremò genus, speciem formare prædicabilibus relinquamus: quæ vt à genere & specie &c. argumenteris, non indignantur.

CXXXI.

Quod si quis ineptire pergat, & omnia ea, quæ hic locorum naturam induunt, propriè & primariò ad dialecticam, non secundario pertinere contendat, is vbi Grammaticæ vnā partem surriperit, & ea, quæ alterius sunt partes logicæ, huc transtulerit, etiam testimonia, siue diuina sint siue humana omnia, in beatam suam topicen transferat, & ita scrinia omnium scientiarum compilet.

Deinde

CXXXII.

Deinde peculiariter totam Metaphysicam in locos suos Dialecticos per caputq; pedesq; conijciat: doceat, quidnam primum sit, in quo omnia conueniant, id est, de ente agat, quæ est conceptus vniuersalissimus, cuius ut affectiones ita & principia assignet.

CXXXIII.

Doceat, quodnam reale sit Ens: ut illud ab ente rationis distinguat, quodnam per se, quodnam per accidens, quodnam absolutum, quodnam respectuum, quomodo vnum sit Ens, quomodo multa: & quia tam vnitatis quam multitudinis aliquas habet species, videlicet simile, æquale, diuersum, disparatū, contrarium &c. quæ posteriora rebus conueniunt, quatenus ab vnitatem ad multitudinem abeunt, reliquas etiam non negligat.

CXXXIV.

Ne forte ineptus esse videatur, qui diuersa tradat, & identitatem omittat, de hac igitur exacte agat, & quot sint modi identitatis explicet: tum quia identitas rei, in ipsius essentia spectatur, addat quoque quid sit Essentia, substantia, & subsistentia, quomodo conueniant, quomodo differant.

CXXXV.

Deinde si videbitur, rationem totius ab vnitatem arceat, neque satis sit ei dicere, totum esse, quod contineat partes: Sed de essentiali toto, integrali, perfectionali, potestatiuo, ut loquuntur scholastici, vniuersali & numerali, exactiorem nobis doctrinam largiatur, vel saltem hanc considerationem ad logicam pertinere fateatur.

CXXXVI.

Pergat deinde, & reliqua quoq; transcendentia, quæq; ab ijs oriuntur, explicet. De Actu & Potentia arduæ sunt quæstiones: eas ille ad suam Topicam transferat, & tantam actus & potentia diuersitatem inibi discernat: De Necessitate & Contingentia tot acuta suis topicis infarcat: De finito, infinito, perfecto, imperfecto, & quæ sunt illorum attributorum tam varia, omnia hinc congerat. Neque enim illa quicquam deliquerunt, quare præ causis, effectis, subiectis, adiunctis, diuersis, disparatis, & reliquis realibus, quæ in locis continentur, è generali doctrina eijciantur, quæ in speciali aliqua propter suam amplitudinem habitare nequeant.

Vt

CXXXVII.

Vt nihil dicam de primis complexis principiis; Nam certè ut Aristoteles inquit 4. lib. Met. Context. 5. Philosophi est de ijs speculari: si enim non est Philosophi, quis erit, qui considerabit: si idem Socrates & Socrates sedens: & si vnum vni est contrarium, &c. Nam sanè hæc principia, quia generalia sunt, in generali doctrina examinari debent.

CXXXVIII.

Quod si iam sole meridiano clarius est, omnia hæc, quatenus talia, à logicis aliena esse, & tamen in particulari aliqua scientia de his rebus agi non posse, definant ineptire, & Metaphysicam Philosophiæ, suam autem Metaphysicam restituant.

CXXXIX.

Rodolphum Agricolum laudat Ramus in præfat. scholarum, quod primus omnium post beatam Græciam Italiaq; tempora eximium illum facultatis logicæ usum renouarit, & dolere ei videtur, in Academijs plerisq; verbis tantum extolli Agricolum, re ipsa & opere ferè neminem imitari.

CXXX.

Audiat igitur eum de locorum natura differentem lib. de Inuent. 2. cap. 7. Rursus vero (inquit) in vniuersum quid sit definitio, & quo pacto definiendum, quid item genus, quid species, quid causa, quid euentus & reliqua id genus non est Dialectice explicare, sed eius scientia, quæ primarum principia tractat, quam Metaphysicam dicunt, à qua Dialectica mutuatur ista: **QUIA AD INVENIENDI RATIONEM SVNT ACCOMMODATA**, utq; dicat, quid sint ista, aliena tamen id facit fide. Et paulo infra: Dialectice differendi probabiliter rationem tradit, hoc est, instrumentum tantum veri falsiq; discernendi.

CXXXI.

Audiat inquam hic Ramus illum, quem tantopere de Logices scientia meritò commendat, primò reiicientem omnes illas res, quæ locorum naturam hic induunt, à Dialectico, & tantum secundum hanc rationem eas consideratam, quatenus inuentioni subseruiunt, id est, quatenus verum & falsum discernere docet: quæ omnia cum Rami logica ipso Ramo consistente pugnant.

CXXXII.

Quod autem genus & speciem Metaphysico hic attribuit Rodol-

D

dol-

dolphus, facit illud ex eorum opinione, qui entis etiam rationalis quidditatem subijciunt Metaphysicæ, quam opinionem non probamus. Id verum tamen est, ut neque causæ tractatio qua est causa, ad topicam pertinet; sic neque generis neque speciei, qua tales: sed hæc ad prædicabilia, illa ad Metaphysicam pertinent.

CXLIII.

Non puto vllum esse, vel mediocri ingenio præditum, qui iam non percipiat, quæ fuerit ratio confirmationis logicæ Aristotelicæ, & quare ab istis Philosophis in duas partes diuidatur, quod sic breuiter repeto.

CXLIV.

Cum veritas finis sit Logicæ externus & principalis, quæ syllogismo acquiritur, in syllogismo autem, duo sint consideranda: *forma & materia*. Quæ de forma sunt conscripta primam eius partem absolunt, alteram verò quæ de materia.

CXLV.

Quia verò *Materia alia scientifica est alia probabilis tantum*, quarum diuersissimam esse rationem ostendimus, eodem sanè modo tractari non poterant, quare de ea in posterioribus Analyticis de hac in topicis agitur.

CXLVI.

Liquet igitur cur à nonnullis, prior illa pars *generalis*, posterior *specialis* dicatur, quod forma quidem syllogismi, quia à nullius materiæ necessitate dependet, sed quoque in falsissima constans sit & inuolabilis, tam necessariæ materiæ accommodetur & subseruiat quam probabili: Ipsæ verò materiæ sint diuersissimæ.

CXLVII.

Sicuti enim trianguli ratio constat siue in auro sit siue argento, lapide aut ligno, materiæ diuersissimis; Sic syllogismi ratio respectu formæ, constans est ut diximus, licet materiæ tam diuersarum conditionum accommodetur.

CXLVIII.

Sed videamus paucis, quid pro hac tam nobili & perfecta logicæ constitutione à Ramo nobis supponatur, ut perspiciant illi, qui relicto summo Philosopho quisquilijs istis sibi illud patiuntur, quam merito.

merito, quiuis veritatis amator, illius viri audaciam & temeritatem detestetur.

CXLIX.

Primo itaque *Prædicamenta*, quæ distinctiones sunt Entis, quæque ceu subiectum logicus suæ tractationi præmittit, reiiciens locos suos substituit, in quibus simplices illi termini rectius disponentur, qui terzini Ramo pro argumentis sunt inuentionis.

CL.

Nam locos hosce *primas Entis differentias, primas Species* esse ait, neque id ei sufficit, quin etiam *non Entis causas, & opposita, & cetera* posse exquiri: contendat; & tot modis imo etiam pluribus falsas enunciationes fieri posse quam veras, Schol. Dial. 4. Cap. 5.

CLI.

Quod de falsis enunciationibus ait, credimus, & eius rei documentum iam dederat Ramus. Omnia enim quæ de differentiis & speciebus entis hic ait, falsa sunt, & ita quidem falsa; uti hic pueris quoque risum, ista Philosophus debeat.

CLII.

Nam primo id valde mirum est, quomodo differentiarum Entis omnibus etiam non Entibus sint communes. Monstrum opinionis! specificas differentias non tantum in infinitum latiores esse suo genere, quod diuidere debebant; sed & ijs conuenire, quæ generi contradictoriè opponuntur.

CLIII.

Quod si quis dicat specificam hominis differentiam, etiam omnibus non hominibus aptari posse, quis non merito clamet? *O Medici mediam pertundite venam.*

CLIV.

Hoc primum: deinde Ens omnino res est, & incomplexum, multa autem argumenta Ramistica realia non sunt, multa complexa.

CLV.

Complexum voco, quod enunciatio est, ut homo currit, qualia fatetur esse, quæ à comparatis desumuntur Talæus: & certè sunt quæ à Testimonio. Reales autem quosdam locos non esse, antea demonstratum fuit.

CLVI.

Quomodo autem speciem Entis, id est rei, constituit, quod Entitatis suæ realitatis nihil habet?

CLVII.

Præterea si Ens ijs locis in suas species diuiditur contradistinctas, omnia quæ sunt Entia ad aliquem locorum pertinebunt, sed illud verum non est: nullum enim absolutum in locis est, ipsis Ramo & Ramistis definientibus.

CLVIII.

Nam & Loci relativè definiuntur per sua correlata, ut, causa est quæ habet effectum: subiectum quod habet adiunctum: & argumentum respicit id, quod arguitur. Beurhusius præd. part. 1. cap. 2.

CLIX.

Igitur si quæram angelus quale sit argumentum? nullum erit, quia alterum suæ affectionis vi non arguit, id est, ostendit & attingit: sed absolute sine ullo respectu consideratur.

CLX.

Quod si etiam ad locum aliquem referri posset, adhuc magis dubium quoque; restaret, ad quem pertineat, cum non magis ut causam, quam ut subiectum, adiunctum, disparatum considerari possit, hæc enim rationes omnes suscipere potest hic terminus, pro varia cum alio termino dispositione: & eo pacto una res ad multas contra distinctas Entis species pertinebit.

CLXI.

Series autem specierum Entis ita institui debebat, ut omnia suis continerentur classibus, ad quas ratione essentiae suæ pertineant. Ita quidem, uti semper id, quod superiori loco collocatur, in quid sit, id est, univocè & essentialiter de inferiori prædicetur.

CLXII.

Sicuti in prædicamentis Peripateticorum, quando Ens diuiditur in substantiam & accidens. Substantia vicissim in corpoream & incorpoream. Illa in inanimatam & inanimam. Animata in sentientem &c. semper superius, in quid, id est, Essentialiter de Inferiore prædicatur.

CLXIII.

Nam si quemadmodum descendendo ad inferiora progressus es,

es, ita ab infimis ad superiora ascendas, semper id quod superius est, Essentialiter & univocè de inferiore prædicabitur. Sic de Petro qui est in prædicamento substantiæ, proximè prædicatur, quod sit homo, de homine animal, de animale corpus animatum, de corpore animato, corpus &c. Adeoque semper id, quod proximè supra est, in definitione alterius sumitur.

CLXIV.

Pone, tibi differendum, esse de anima contra Epicurum, datoque, esse animam aliquam, id est, concessio eam esse Ens; porro tibi quærendum restet, in qua Entis sit specie, ut verum eius genus reperias. Hic si excutias omnes species Entis Ramistici, & inuenias in causarum loco, effectorum, subiectorum, adiunctorum, dissentaneorum &c. nihil tibi eorum negarit Epicurus, quando essentiam animæ non attingunt: Nam & accidentia sunt Causæ, subiecta, adiuncta, diuersa &c.

CLXV.

Neque vspiam in hisce locis genus suum inuenire queat anima, ut cum una sit entium, in nulla tamen specierum huius Entis propriè definiri possit.

CLXVI.

Si verò ex peripateticorum præscriptis Ens in germanas species, id est, decem illa genera diuidas, substantiam, quantitatem, qualitatem &c. animam in substantia reperies, eoque ipso exclusam ab omnibus alijs speciebus Entis, quod nequaquam tibi concedet Epicurus, nisi decreta sua rescindere velit.

CLXVII.

Vbi & hoc tibi mirari liceat, quomodo, si hæc sunt veræ Entis species, una res ad tam diuersos locos pertinere possit? Quod si respondeant, alio atque alio id fieri respectu; at intelligere debebant, diuersum respectum non facere diuersam rem, & propterea homo semper est homo, semper animal, semper corpus, semper substantia: licet illum possis considerare, ut magnum, ut callidum, ut patrem, ut verberantem, ut verberatum, ut Romæ existentem &c. quæ omnia denominatiuè siue paronymè prædicantur de homine: respectus enim est accidentalis.

CLXVIII.

Ita etiam illi, hominem ad vnum aliquem locorum astringant, ad quem Essentialiter referatur, ex quo loco genus quoque hominis desumatur. Nam oportet genus & speciem ex eadem Entis classe depromi, non autem si homo sit in substantia, genus eius querere in quantitate aut qualitate.

CLXIX.

Quæ cum nequeant fieri ex locis, & si quis tentet, ridiculus fit futurus, ridiculus quoque est Ramus, qui pro prædicamentis, veris entis speciebus, tales nobis locos obtrudat.

CLXX.

Quamquam multis argumentis nihil sit opus. Si enim ipsorum saltem Rami & Ramistarum verba attendamus, facile istorum hominum contradictio manifesta erit.

CLXXI.

Nam Beurhusius eodem capite eiusdem libri sæpe citati explicans, quare *τομὴ* ea dialecticæ pars dicatur: *Quia consignatis* (inquit) *argumentorum generibus tanquam certis in diebus & notis, querendi quasi locos & sedes & domicilia constituit, in quib. NON RES IPSAE* (quæ sunt in suis disciplinis & totius vite usu) *sed logica notionum genera, in quibus certa sit inquirendi & inveniendi facultas, latent.*

CLXXII.

Capulæ igitur locorum Rami (sic enim locos suos ipse Ramus vocat) iuxta Beurhusium sunt inanes, & res non continent, quod facerent, si vel prædicamenta essent, vellez complecterentur, & quia non continent frustra in ijs queruntur.

CLXXIII.

Hic autem mirabile nascitur monstrum. Locisunt species Entis, & tamen Entia in locis nulla continentur: Nullæ res sunt vel continentur in locis, & tamen loci sunt rerum species. Quasi tu dicas: brutum & rationale, veras esse animalis species; sed inter bruta & rationalia nulla tamen esse animalia.

CLXXIV.

Et nihilominus eodem cap. 5. lib. 4. Ramus de hisce decem locis agens: *vera* (inquit) *hæc decem sunt categoria, quæ omnes omnis enun-*

ciatio-

ciationes affirmata negata vera falsa partes, OMNEM MATERIAM continet.

CLXXV.

Vnus asserit contineri, alter negat, vtri credendum censetis? Quamquam si Ramus sibi constare velit & locos propriè ad logicam pertinere constanter tueri: eosdem autem locos omnia in se continere, adeoque veras Entis esse species; volens nolens concedere debet, omnes res verè in locis tradi, & propriè ad logicam pertinere.

CLXXVI.

Neque enim ad nonnullorum excusationem confugere potest, qui dicunt causas, Effecta, subiecta adiuncta &c. in genere ad logicam pertinere: speciales autem causas, adiuncta, subiecta ad suas doctrinas. Dixit enim Ramus: *Omnia enunciationis partes, omnem materiam locis contineri.*

CLXXVII.

Deinde reddemus Ramo suum argumentum quod ille Schol. Phys. lib. 3. cap. 1. Aristoteli opposuit, verba eius sunt: *At si logicum Aristotelem interrogas cuiatem censeat esse causarum artem? logicam sine dubio confirmabit* (Non faciet Rame sed tamen perge) *Interrogato igitur eundem de genere, & tanquam de natione motus, an parenti aliam patriam, aliam soboli foetuiq. assignabit?*

CLXXVIII.

Et ego logicum Ramum interrogo, cuiatem censeat esse causarum, effectorum, subiectorum, adiunctorum &c. artem? Logicam nempe dicit, an igitur aliam patriam parentibus, aliam soboli foetuique videlicet specialioribus causis, effectis, subiectis, adiunctis sit attributurus?

CLXXIX.

Et vt in eodem cum eo motu haream; cum causarum sobolem motum, faciat logicum, propter parentes; quid de nepotibus illarum causarum, id est, liberis ipsius motus, generatione, corru-

corruptione, alteratione, augmentatione, diminutione & latione flatuat? An non eodem iure successionis utentur, quo ipse motus, ita ut etiam illa ad logicam spectent?

CLXXX.

Sed ille nugatur, cum suis speciebus entis: quod cum peccatum primum sit & grande, maius tamen etiam committitur: Nam per bellissimos hosce locos, pulsus prædicamentis, eijcitur deinde demonstratio: modus sciendi, ab ijs, qui se scientiarum professores vendicant: normam philosophandi nullam agnoscunt, qui philosophos se profitentur. Hi enim loci non magis ad philosophiam, quam ad quasuis aniles fabulas (ut audiemus) conducunt.

CLXXXI.

Cur igitur non ad Pyrrhonorum castra transimus? cur non fatemur nihil certi esse, si nexum principiorum necessariorum & conclusionum inter se de re aliqua ostendere non possumus.

CLXXXII.

Quæ calamitas cum maxima sit philosophiæ illata hoc artifice, tpm ne quidem loci hi, sicuti à Ramo proponuntur, qui alteram logicæ partem sustinere debebant, verè sunt loci, adeoque nihil utilitatis logico conferre possunt.

CLXXXIII.

Si enim Inuentio hic est aliqua, si aliquis locus, tum ille enuntiationis, & syllogismi vel *materia*, vel *forma* inseruiet vel *utriq;* quorum tamen nihil fit.

CLXXXIV.

De *forma* quidem est res liquida, quia id Ramus supra confessus est, constantissimum posse syllogismum fieri etiam ex falsa materia: quod si syllogismus, etiam enuntiationes, respectu formæ: syllogismus enim ex enuntiationibus constat.

CLXXXV.

Sive igitur consentanea disiungas sive dissentanea coniungas, semper sunt enuntiationes: semper syllogismus fieri potest. Quare nihil ad formam hæc locorum tractatio.

CLXXXVI.

Quod si verum est, ut est verum, ne quidem utriq; inseruire poterit.

terit. Nam si utriq; inseruiat, etiam ad formam aliquid conferet: quod falsum esse demonstrauius: relinquatur itaq; tantum materia.

CLXXXVII.

Materiam voco, ut supra definiui thesi 50. in qua præter veritatem respicitur Necessitas & Contingentia.

CLXXXVIII.

Nam falsitatem euitant omnes artes, & propterea logicam inuentam esse docuimus, ut falsum euitetur, verum autem altruatur, neq; id promiscuè, sed contingens à necessario discernendo.

CLXXXIX.

Hoc autem neq; loci hi Ramifici præstabunt, neque locorum autores promittunt, ut ita vana meritò, tota habeatur locorum hæc tractatio.

CXC.

Causæ quidem definiuntur, Effecta, subiecta, adiuncta &c. quæ materiam spectare putes: sed hæc ut Ramus Metaph. 4. cap. 2. profitetur, etiam non Entis communia sunt, cum *FALSORVM* & non Entium causæ cæteraq; argumenta, tam communia sint quam verorum.

CXCI.

Etiam aliquoties citato capite lib. 4. cap. 5. Schol. Dial. audiuius eum dicere: Causas, opposita, cæteraque logicorum argumentorum genera, non tantum Entis esse; sed etiam non entis, & tot modis, imo etiam *PLVRIBVS* falsas enuntiationes fieri quam veras.

CXCII.

Ea Scribonius in Triumpho suo lib. 2. cap. 3. Piscatoris definitionem, quæ is verum axioma definiebat; in quo consentanea componentur, dissentanea vero vel inconsequentia disiungantur, his verbis arguit: *Equidem autem perfectiorem hanc esse definitionem & manifestiorem quam auctoris, haud facile dixerim. Anaxagora enim Philosophi enuntiatum in libro Ciceronis de Nat. Deorum: Nix est atra: constat argumentis consentaneis, nempe subiecto & adiuncto, at nihilominus falsissimum est. Similiter si cum Theologis illis veteribus dicerem: Angeli fecerunt mundum, Argumenta consentanea, causam & effectum contingens, falsissima dicerem.*

E

Quomo-

*Quomodo igitur noua Piscatoris definitio erit melior, quomodo perfectior am-
toris, cum non sit Catholica, aut vniuersaliter vera.*

CXCIII.

Hæc ille, qui idem docet, quod Ramus antea: etiam si Enuncia-
tionem ex consentaneis compositam habeamus, nullam tamen ve-
ritatis hanc esse notam: cum pluribus modis, falsa hinc possit ex-
strui enunciatio, quam vera.

CXCIV.

Aduertat hic vnusquisque cordatus, quid sperandum sit de lo-
cis Rami, in quibus, seruatō præscripto locorum, tamen nullum tibi
compendium demonstratur ad veritatem.

CXCV.

Quod si obijciant, veritatem in suis artibus quærendam esse, &
reliquo vitæ vñ; nimirum ita hæc nos fatēbimur. vt si quæras de
quæstione Physica, è physicis respondeatur; si de Ethica ex Ethicis,
de Mathematica ex mathesi: ne tamen instrumentum illud scienti-
ficum, quod Ramus neglexit, prætercas, nisi à veritate errare velis.

CXCVI.

At si ex principiis illis vniuersalibus disputetur, quæ ab vniuer-
salium terminorum natura desumuntur, dic sodes vbi de veritate il-
lorum iudicium fiet? Nam in particulari scientia id non potest
propter eorum vniuersalitatem: Metaphysica eis crepta est, & Topi-
ca Ramistarum ad veritatem nihil facit.

CXCVII.

Ergo si Philosophum audiam dicentem,

Omne quod sit, necessario sit ex ente in potentia.

Impossibile est, duo agentia concurrere aequaliter ad eundem effectum.

Omnia agentia necessario agunt propter finem.

Ab aequalibus non fit actio.

Diversitas operationum indicat diversitatem formarum.

Materia & agens nunquam incidunt in idem.

Et quæ id genus sunt plurima.

CXCVIII.

Hæc, inquam, & eius generis principia, si mihi se offerant, & ego
de ijs dubitem, in quam scientia veritatem eorum quæram, præ-
fertim

fertim ita informatis locis, vt hic nihil nos iuuare possint: & tamen
vt Aristoteles inquit lib. 4. Met. oportet horum esse aliquam scien-
tiam.

CXCIX.

Cum ab vniuersalibus illis dependeant reliqua specialia, vt ijs
ignoratis nemo vnquam bonus futurus sic Philosophus.

CC.

Propter quam causam, veteres locos illos digesserant, & sedes
argumentorum esse voluerant, vt custodes essent talium principio-
rum, quibus se instruens Topicus de omnibus rebus disputare posset.

CCI.

Quid autem mihi profint loci Ramistici? An metuebat Ra-
mus, ne si diceret, Romulum esse conditorem Romæ, non intellige-
remus Romulum esse *causam efficientem*, Romam *effectum*?

CCII.

Tum verò, quis vnquam vel illiteratissimus rusticus, *materiam*
confudit cum *forma*? quod si quos tales esse pures, experire, & quam-
uis eleganter formatum nummum plumbeum pro aureo alicui of-
fero, tum vide, an inter materiam & formam possit discernere.

CCIII.

Perge: *subiectum, adiunctum* in exemplis examina, & vide, an non
intelligat idem ille, si dicas: hominem esse doctum: doctrinam inesse
homini, non autem hominem esse ipsam doctrinam.

CCIV.

Quid de diuersis dicam. promitte tu ei aurum, & solue deinde
carbones, an non etiam sine hac logica diuersitatem illarum rerum
agniturus sit?

CCV.

Quare eo modo locos tradere, est tenues sine corpore non vi-
tas sed ventos tradere.

CCVI.

Et tamen palmarium se reperisse existimant, si hoc modo scri-
ptoris alicuius vel carmen, vel orationem, vel sententiam quoque v-
nam retexere possint.

E 2

Vide

CCVII.

Vide fides eorum resolutiones, & primo an simile aliquid ulli vnquam Philosopho prioris seculi, vel Poetæ, vel Oratori in mentem venerit. Examina deinde, an id cuiusquam emolumento fiat, quod ego in solidum nego.

CCVIII.

Nam non tantum syllogismi, quod rectè fit, examinantur, vt quæ media, quibus conclusionibus subseruiant, intelligatur: sed omnis generis, non tantum enunciationes sed oblationes, obiurgationes, deprecationes, vera, falsa, seria, iocos, omnia, inquam secundum locos hosce Rami resoluerè queas, & argumenta inuentionis Ramistice demonstrare.

CCIX.

Vt etiam diabolares nugæ, quas anicula ad colum narrat, neque alij vnquam dixit, neque vsquam ficta, neque vnquam picta, sed ab ea excogitata, argumenta ex locis huius Ramisticis petita demonstrare possint.

CCX.

Et si quis merum aliquod de industria comminiscatur mendaciū, nihileminus eius mendacij ex locis Rami argumenta demonstrare possit, vt ita inuentionis eius nihil à præscripto logices Rameæ sit abitura.

CCXI.

Quæ ita iubetur esse generalis, vt non tantum entia, verum etiam non Entia, non solummodo vera, sed & falsa concernat, quod pulchrè à Scribonio in Anaxagoræ *nigra nibe*: Et Theologorum quorundam, vt ille ait, *creatoribus angelis* demonstratur.

CCXII.

Nam ne quis fortè imprudens hic peccet, non quod omnibus priscis doctis philosophis, quoque Ramo est argumentū, sed ea à se inuicem toto cœlo differunt.

CCXIII.

Peripatetici siquidem: vbi quæstio aliqua est probanda, quæ subiecto suo constat & prædicato, quorum neutrum ipsis est argumentum, demum argumentum adsciscunt, quo hanc quæstionem vel affirmando confirment, vel refutando negent.

At

CCXIV.

At Ramistæ feliciores sunt, quibus in singulis enunciationibus, duo ad minimum nascuntur argumenta. Nam sicuti Talæus in sua Commentatione supra Dialecticam Rami inquit *lib. 1. cap. 2. Argumentum est, quod vocabulum in Grammatica, vtque ait, è nominibus & verbis fit Oratio: Sic ex argumentis per nomina & verba significatis fit enunciatio.*

CCXV.

Et paulo post: *Omnia sententiæ partes argumenta sunt, vt cum dico, homo est animal: Hic duo argumenta sunt, species homo, & genus animal.*

CCXVI.

Non mihi hic libet eos ad considerationem relatorum vocare, vt si in hac enunciatione: Petrus est doctus: duo sint argumenta, id est, duo relata, ipsam relationem mihi demonstrent, sicuti inter patrem & filium, à parte patris est paternitas, à parte filij est filiatio. Multò autem minus de Relatorum fundamentis quæram, quæ tamen necessaria sunt in omni relatione. Vt neque interrogabo, an, quia hic argumenta sunt, & disponuntur (ex illorum sententia) etiam argumentationem agnoscant? nempe, qui dicat, Petrum esse doctum, an argumentetur Petrum esse doctum.

CCXVII.

Hoc autem mihi considerandum amplius est, cum vocentur argumenta termini illi simplices, *rationes solæ, & per se considerata*, in quibus neque verum neque falsum habeat locum, quomodo comparata, quomodo testimonium argumenta suppeditabunt, ex quibus tota desumuntur enunciationes?

CCXVIII.

Nam sane ita Ramus comparat. 3. *Nec enim argumenta seu κατηγορηματα per se separata (vt sunt genus & species) enunciant verum aut falsum, vt Aristoteles ipse nominatim profitetur, cum ait: nominibus & verbis (quæ Categoremata symbola sunt) neque verum neque falsum, ideoque neque necessarium neque probabile significari. De argumentis tamen tota dialectica prima pars est Inuentio.*

CCXIX.

Hic igitur contrà Scheckium disceptatur: *Veritatem* solummodo ad iudicium axiomaticum pertinere, & à tota inuentione sua, ab

omnibus argumentis excluditur, sicuti quoque à syllogismo & Methodo. nam ita pergit: *Neq; syllogismus item per se vltus est, nisi necessarius, cum ex falsis constantissimus esse possit, in eoque tantum consequentia & inconsequentia spectatur, ut in Methodo tantum natura priorum & posteriorum, & negatio & affirmatio, in neutro autem veritas aut falsitas proprie consideratur.*

CCXX.

At per Deum immortalem, ut comparata transeam, quis unquam vltum vidit, vel audiit testimonium, quod neq; verum neq; falsum esset? adeò hoc est absurdum, ut ne cogitari tale aliquid possit, omnia argumenta, quæ à testimonio petuntur, sunt enunciationes, quod etiam ipsi de comparatis fatentur.

CCXXI.

Quare sic colligo; qualis est natura argumenti, qua est argumentum, in vno loco, talis debet esse in reliquis: at natura argumenti in Comparatis, & certè in testimonio est complexa, enuntiata: Ergo etiam argumenta à causis, effectis, adiunctis &c. Enunciationes erunt, non termini simplices; aut eijciant locos illos à reliquorum numero, quod facturi non sunt, si logicam suam tueri volent.

CCXXII.

Sed quo tandem iure enunciationum omnium partes argumenta vocantur? cum nemo vel historiam narraturus, vel quippiam optaturus, vel alio aliquo affectu commotus sensa animi explicaturus, adeat locos, vnde ea, quæ dicturus sit, depromat. Puta si quem videat Patrem suum verberantem, locos prius didicisse non habeat necesse, antequam effectum illum de sua causa possit enunciare, verba enim exponunt mentis tuæ conceptus, hi ab obiectis desumuntur, & ita animo tuo inhaerent, sicuti obiecta sunt: post vero exprimit animi conceptum interpres lingua.

CCXXIII.

Igitur si factum aliquod vides, factum recensens, si quicquam alicui inesse, id ita narras, si ex aliqua materia aliquid constare, materiam profers, si aliquid ab aliquo differre videas, diuersa esse
ais,

ais, &c. Neque haec tu quicquam plus hic artis possides, quam indoctissimus mortalium.

CCXXIV.

Et tamen logica eorum resolutio, quod ad inuentionem attinet, alia non est, quam in veris falsis, factis, fictis, illa tam lamentabilia argumenta quætere, quæ argumenti nihil habeant, quibus crucem pueris figant, adultioribus risum moueant.

CCXXV.

Vide enim exempli gratia primam oden Horatij, ut illa à Petro Gualtherio Chabotio Ramisticè resolvitur.

Macenas atavis edite regibus.

Macenas effectum est Atauorum regum, causarum procreantium, quasi quis tam sit brutus, qui nesciat filios à parentibus procreari, ut hoc ex logicis Rami discere opus habeat.

O & presidium & dulce decus meum.

Enunciatum inquit resolutor, constat ex adiunctis. *Macenas est Poeta presidium & decus*, quanquam grande dubium est, an forte praestet referre hoc pronunciatum ad Macenatem, id est, ad causam conseruatricem: quæ quod effectum est alit, sustentat, & maius quotidie facit: videlicet ardua res est, & benè deliberandum censeo.

CCXXVI.

Sunt quos curriculo puluerem olympicum

Collegisse iuuat, metaque feruidis

Euitata votis &c.

In hoc & reliquis versibus vota hominum varia comparatione dissimilium declarantur (inquit) In Protasi autem huius Collationis, homines è subiectis distribuuntur, quæ ad tria, honores, diuitias, voluptates, à resolutore contrahuntur.

CCXXVII.

Quod si tu hæc adiuncta esse contendas, ut Rami autoritas saluetur, qui aliquanto rectius dicit: *hominem esse subiectum diuitiarum* Cap. 10. lib. 1. Dial. Quid tum postea? iam fiunt subiecta, & ut apparet merito; quia homines quidam obstinatis animis in ijs exercentur &
occu-

occupantur, Et hoc pacto illi homines iam suorum sunt studiorum adiuncta, postea ubi visam erit Ramistis redibunt ad subiecta.

CCXXVIII.

Ecquid beati sumus hac analyfi Logica, quā si rediuius legeret Horatius, cum Apolline omnes Musas iuraret, sibi talem inuentionem nunquam in mentem venisse. Sed propter dispositionem, vnum etiam exemplum ex praxi logica Snellij videamus, & deinde disputationem hanc concludamus.

CCXXIX.

Locum totum ascribo, vt quam pulchrè ad normam suæ logicæ scriptores resolueret sciant, quiuis videat. Est autem i. Aeneid.

*Aeole, namq; tibi diuum pater atq; hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aquor,
Illum in Italiam portans, victosq; Penates:
Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes,
Aut age diuersos, & disyce corpora ponto.
Sunt mihi his septem praestanti corpore Nymphae:
Quarum qua forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo,
Omnes ut tecum moritæ pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.*

CCXXX.

Petitio hæc est, quod nec Snellius dissimulat: Sed an etiam Dialecticus docet postulare? Si ita est & argumenta Ramistica non tantum ad Enunciandum; sed etiam ad petendum, optandum, imperandum comparata sunt, malè fecit Ramus, qui nusquam talem argumentorum dispositionem docet.

CCXXXI.

Sed audiamus, quid Snellius dicat: *Hic petitionis (inquit) questio cernitur (nota bene petitionis questio) quod cupiat, ut Aeolus mota tempestate in mari Troianos opprimat, aut destrahat. Cuius argumentum sumptum est à paribus relatis (causarum & Effectorum) in his verbis:*
Sunt mihi his septem praestanti corpore Nymphae.

Qua-

*Quarum qua forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili propriamq; dicabo.
Syllogismi autem propositio deest: perficitur sic:
Si tibi iungam connubio Deiopeiam, incuties vim ventis, aut Troianos opprimes:*

At ego connubio iungam Deiopeiam

Ergo incuties vim ventis.

Propositio est connexa, affirmata, vera, necessaria, generalis. Assumptio & complexio sunt affirmata, vera, contingentes, propriae, simplices.

CCXXXII.

Omnes ego hic appello, qui micam tantum sani iudicii habent, vt expendant, qualis hæc sit resolutio, an non omnibus partibus inepta.

CCXXXIII.

Primo enim facit enunciationem, ubi petitio est, quod fortassis tolerari posset, nisi sententiam Virgilij inuerteret, is enim ita Iunonem introducit loquentem: *AEole, disyce Troianos & iungam tibi Deiopeiam*: quod si in enunciationem mutes, hæc nascetur Hypothetica; *Si incusseris vim ventis, dabo tibi Deiopeiam*: Nequaquam autem *Si dederō tibi Deiopeiam, tu incuties vim ventis.*

CCXXXIV.

Vt si quis dicat: *occide tu Latronem, & ego eum terra mandabo.* Hanc in propositionem hypotheticam conuersurus, ita puto facies: *Si tu occideris latronem ego illum terra mandabo.* Non autem. *Si ego mandauero Latronem terra, tu eum occides.*

CCXXXV.

Deinde syllogismum quærit, ubi de syllogismo poetæ in mentem non venit, ubi enim subsumptio? ubi in his verbis conclusio? nusquam profectò: neque hic quidquam magis concluditur, quam in quauis propositione hypothetica sola & per se considerata, sententiæ enim AEoli incerta hæret Iuno, donec ille ex interuallo, quid facturū sit explicet. ibi *AEolus hac contra: Tunc, ô regna quod optes*

Explorale labor: mihi insa capeffere fas est.

CCXXXVI.

Istiusmodi syllogismos, hoc pacto resolutos, magna copia, ex singulis

F

gulis propositionibus connexis, singulos facile acquiramus. Dicas tu; *Vende mihi librum & numerabo tibi aureum*: resoluo duce Snellio, *Si dedero vel numerabo tibi aureum, vendes mihi librum, Sed ego numerabo tibi aureum, Ergo vendes mihi librum* per sanè eleganter!

CCXXXVII.

Tertium absurdum est in qualitate propositionis explicanda, quam dicit Necessariam esse: Quid audio? An igitur aliter non poterat fieri, *quin si Iuno daret Deiopeiam, AEolus perderet Troianos*? At Snelli, quæ nostri sunt arbitrij ea necessaria non sunt, Necessitas enim tollit alteram partem contradictionis.

CCXXXVIII.

Quantum deinde admodum est mirabile, propositio est Snellio vniuersalis, Ergo quantum ego percipio, Aeolus iam terminus est vniuersalis? Conuertatur in Categoricalam: *Omnis Aeolus cui iungitur Deiopeia, concutiet vim ventis*. An sic? an vero aliter? Nam aliquo modo debet, quippe Hypothesica vniuersalis in categoricalam conuertitur.

CCXXXIX.

Hæc talia cui placent, is largiter apud Ramistas ijs faturabitur, pleni enim sunt libri illarum resolutionum, quod si is fructus à logicis sit expectandus, tum ego eam titiulatio Plauti, vel Varro- nis tipulla emere nolim.

CCXL.

Cum itaque loci illi Ramistici & argumenta istorum locorum, tam sint nullius momenti sicuti demonstrauiamus, Inuentionem hic non agnoscimus, neque aliquam Dialecticæ partem, vt ita partiti- o Rami ista, Ramistico modo intellecta, sit vitiosa.

CCXLI.

Quæ etiam in ipsa Rami Dialectica iniuriam facit Methodo, ea enim si hæc vera est, ad Dialecticam non pertinet.

CCXLII.

Nam cui non tribuitur Definitio, ei nec definitum tribui po- test; At Methodo, neque inuentionis neque Iudicij definitio com- petit.

Ergo sub neutra harum erit.

De

CCXLIII.

De Inuentione liquida res est: de Iudicio autem non minus; defi- nitur illud, *secunda pars logica de disponendis argumentis ad bene iudican- dum*. At in methodo nulla disponuntur argumenta, sed axiomata inquit Ramus.

CCXLIV.

Argumenta enim Ramistica sunt disposita priusquam accedat methodus. Quare ad Iudicium non pertinet, aut aliam eius defini- tionem inueniat Ramus.

CCXLV.

Ergo concludimus: in Rami dialectica, adhuc quod dialecti- cum esset, parum esse repertum, atque si quid eius speciem habeat id ipsum ineptè esse traditum, sicuti demonstratum est. specialiora volente domino in progressu.

F I N I S.

